Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

puniendos, omnium autem bonorum ipsorum redditus multa plectendos. Que res maximum putabatur profectui ecclesiastico inferre discrimen, dum promulgata imperiali sanctione cunctarum pene ecclesiarum presules ac magistri omnes dispergerentur exiliati atque passim trucidarentur inventi. Sed domino Ihesu longe melius disponente, qui loquitur: Nisi granum frumenti in terram moriatur cadens, in terram ipsum solum manet. Qui magis dividebantur per clymata mundi, eo ampliora lucra dominicis horreis accumulabant. Quin etiam vigore animi et alacritate sue fidei eos qui infirmiores videbantur non modice animabant. Hac igitur causa persecutionis post obitum beate memorie confessoris et episcopi Gaii longa intercapedine temporis prefate sedes ecclesie benedictione sacerdotali vidua et pastoris proprii mansit cura destituta. Namque christiane plebis emuli nacta sue invidie congruentissima oportunitate quoscumque sub hac preceptione advenire potuere insolenti more super eos grassati. Quosdam gladiis obtruncavere, quosdam autem belluina rabie viva corpora aut feris aut ignibus absumpsere. Sed omnium in fide non ficta usque ad necem perseverantium Christus, qui causa fuit certaminis, evidens extitit et bravii largitor eterni.

Passio sancti Saturnini episcopi et martyris. xvi.

Si locorum merito sanctorum beatissimorumque martyrum passiones debita admiratione veneramur, quos procul a sedibus nostris non tantum remotarum immensitate terrarum, verum etiam marinorum quoque fluctuum interpositione secretus fame deferentis officio et audivimus et credimus felici martyrio consecratos, atque illos dies quibus in dominici nominis confessione luctantes, beato quoque obitu regnis celestibus renascentes, eidem domino cui indefectamine viribus adiuvantur, post victoriam munere coronantur, vigiliis, ymnis ac sacramentis etiam sollempnibus honoremus, ut eorum patrocinia atque suffragia in conspectu domini orando quam honorando mereamur: quanta sanctum istum diem sollempnitate veneramur, quibus gaudiis excolimus, in quo vir beatissimus Saturninus et episcopus Tholosane civitatis et martyr in eadem civitate geminatam coronam deo teste promeruit, et de sacerdotii dignitate et de honore martyrii, ut quam iam venerabilem vitam fecerat, etiam passionis interitu consecraret. Tempore illo quo post corporeum domini salvatoris adventum exortus in tenebris sol iusticie splendore fidei illuminare occidentalem plagam ceperat, quia sensim et gradatim in omnem terram evangeliorum sonus exierat, tardoque processu in regionibus nostris apostolorum predicatio coruscavit, cum rare in aliquibus civitatibus ecclesie paucorum christianorum devotione consurgerent, ac crebra miserabili errore gentilium et odoribus fetidis in omnibus locis templa fumarent, ante annos satis plurimos, id est sub Decio et Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum et summum christi Tholosana civitas sanctum Saturninum habere ceperat sacerdotem. Cuius fidem atque virtutem eorum qui in urbe eadem colebantur ceperunt demonum vaticinia cessare, commenta nudari, artes detegi, omnisque apud illos gentilis potentia et fallacia christianorum fide crescente decresceret. Cumque supradicto episcopo ad ecclesiam idem temporis parvulam iuxta capitolium, quod inter domum suam et domum dei erat medium, frequens iter esset ac reditus, sancti viri presentiam sustinere fallax demonum turba non poterat. Et ut erant muta simulachra, nulla adumbrata fantasiis, ad sacrilega obsequia et solita consulentium vota ceperunt in silentio permanere, cunctique sacrilege superstitionis antistites tante rei novitate permoti inter se invicem querere unde numinibus suis repente venisset tantis temporibus inusitata taciturnitas, quis nam ita semper garrula ora clausisset, ut nec invocantium precibus excitata, nec fuso cruore taurorum et tantis hostiis delinita aliquod consulentibus afferre responsum aut ira aut absentia denegaret. Audiunt a quodam nostre religionis inimico novam nescio quam surrexisse sectam superstitione gentilitatis inimicam, que christiana appellaretur, et in deorum suorum excidium niteretur. Huius etiam fidei esse episcopum Saturninum, cuius crebro iuxta capitolium ad conspectum vel eius exterrita deorum suorum ora mutuisse, nec facile potuisse reserari, nisi episcopum illum mors inimica subtraheret. Infelix error et ceca dementia: diis suis hominem esse terrori, et a delubris atque sedibus suis demones transitu ipsius exturbari non solum audiunt sed et intelligunt, et hunc virum adoratis sunt ydolis etiam sine permissa intermissione tribuli interfice potius quam honorare definiunt miseri, non considerantes quod nullum magis quam illum colere deberent, cuius servi suis numinibus imperarent. Quid enim stultius quam tamen metuentes et illum qui dominatur dominantibus non timere? Inter hec igitur conquirentium et stupentium studia cum paulatim magna fuisset multitudo hominum congregata, et omnes studiosius vellent parato adhuc tauro certi aliquid de his que dicebantur agnoscere, et de diis suis litatione tam ingentis hostie vellent doceri que cuperent uberius probare, ecce ipsum Saturninum ad officium sollempne venientem unus ex illa malignantium turba eminus agnoscit et dicit: En ipsum adversarium cultibus nostre religionis signiferum, qui destruenda predicat et deos nostros demonum appellatione condempnat, cuius presentia consueta nos prohibet obtinere responsa. Itaque quia ipsum nobis oportuno tempore debitus ipse finis exhibet, iniuriam pariter deorum nostrorum vindicemus iniuria, quos iam nunc compellentibus nobis aut sacrifi